

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

# BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0689

Martedì 10.10.2017

## Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale alle celebrazioni del III centenario del ritrovamento della statua di Nostra Signora di Aparecida (10-12 ottobre 2017)

In data 12 agosto 2017, il Santo Padre Francesco ha nominato l'Em.mo Card. Giovanni Battista Re, Prefetto emerito della Congregazione per i Vescovi e Presidente emerito della Pontificia Commissione per l'America Latina, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni del III centenario del ritrovamento della statua di Nostra Signora di Aparecida, Patrona del Brasile, che si terranno presso il Santuario Nazionale di Aparecida nei giorni 10-12 ottobre 2017.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione Pontificia composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do P. Marlos Aurélio DA SILVA, C.Ss.R, Superiore della Comunità Redentorista del *Jardim Paulistano* a São Paulo, collaboratore nella Parrocchia *Nossa Senhora do Perpetuo Socorro*; Professore di Teologia *all'Isp*; direttore editoriale *dell'Editora Ideias e Letras* e membro del Consiglio dei Redentoristi a São Paulo;

- Rev.do Don Renana Rangel DOS SANTOS PEREIRA, Assessore per la Pastorale vocazionale dell'Arcidiocesi di Aparecida; formatore nel Seminario Missionario *Bom Jesus* e parroco della Parrocchia *São Roque* a Aparecida.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre Francesco all'Em.mo Card. Giovanni Battista Re:

### Lettera del Santo Padre

*Venerabili Fratri Nostro*

*IOANNI BAPTISTAE S.R.E. CARDINALI RE*

*Congregationis pro Episcopis Praefecto emerito*

*itemque Pontificiae Commissionis pro America Latina olim Praesidi*

Quae apparuit in caelo contemplanti Ioanni Apostolo, “mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et super caput eius corona stellarum duodecim”, Immaculata Virgo Maria, Mater Dei et nostra, signum magnum constituit fidelibus (cfr *Apc* 12,1). Simili quidem modo trecentos ante annos parvum ac formosum Virginis simulacrum rete e flumine Paraiba extractum praecipuum sane signum factum est Caelestis Matris tuti praesidii quo cunctos in Brasiliensi terra servitudine variisque vitae aerumnis et humana iniustitia contractos Ea amanter complectebatur. Ideo haud mirandum est si usque maior turba ad sanctuarium eius in loco Aparecida vulgo appellato constanter concurrir, suas tribulationes et preces ipsi fidenter praeponens.

Nos autem, qui post initum Petrinum ministerium anno MMXIII praeclarum hoc sanctuarium ipsi invisimus, cordis desiderium ac vestigia Decessorum Nostrorum sequentes, libenter postulationem accepimus, subsignatam a Venerabilibus Fratribus Sergio S.R.E. Cardinale da Rocha, Archiepiscopo Metropolita Brasiliapolitano et Conferentiae Nationalis Episcoporum Brasiliae Praeside, necnon Rolando Brandes, Archiepiscopo Metropolita Apparitiopolitano, omnium Fratrum in Episcopatu et universi populi Brasiliensis nomine enixe poscentibus ut quendam Patrem Purpuratum mitteremus qui diebus statutis inter sollemnia uti Legatus Noster illic adesset.

Te ergo, Venerabilis Frater Noster, Congregationis pro Episcopis Praefectum emeritum, Pontificiae Commissionis pro America Latina olim Praesidem itemque Ecclesiae eminentem Praesulem, prorsus idoneum censemus, cui honorificam hanc missionem fidenter concedamus. Quapropter **Nostrum Missum Extraordinarium** his Litteris te nominamus ut a die X usque ad diem XII proximi mensis Octobris in urbe Apparitiopolitana Nostras partes prudenter agas in festivitibus conclusionis Anni Mariani Nationalis Brasiliae in trecentesima anniversaria memoria a repperta statua Deiparae Immaculatae Virginis Mariae.

Liturgicis ibi celebrationibus Nostro nomine praesidebis Nostramque benignam adstantibus significabis salutationem, praesertim eiusdem archidioecesis assiduo Pastori ceterisque Fratribus in Episcopatu necnon civilibus auctoritatibus. Populum deinde congregatum ferventer hortaberis ut Redemptoris Matrem pientissime colant, sicut ante maiores eorum agebant, praesertim cotidie sanctum rosarium recitando, sollicitudines ac dolores eidem cum fiducia afferendo, et una cum ea Deum magnificent, “quia respexit humilitatem ancillae suae, . qui potens est, et sanctum nomen eius, et misericordia eius in progenies et progenies timentibus eum” (*Lc* 1,48-50). Invitabis insuper ut omnes in Christum credentes suam Evangelio adhaesionem magis consciam reddant eamque corroborent, novam evangelizationem vitae testimonio et Mariali oratione foveant ac denique ut cum beati Petri Successore magis magisque in spiritu coniungantur eumque constanter intercessionibus suis Dominae Nostrae concedant.

Nos precibus tuam sustinebimus magni ponderis missionem, dum iam nunc enixe te, Venerabilis Frater Noster, committimus amantissimae tutelae sanctae Dei Genetricis, intercedente etiam sancto Antonio a Sancta Anna Galvão de França, ob peculiarem devotionem in Immaculatam Conceptionem Beatissimae Virginis Mariae insigni. Apostolicam denique Nostram Benedictionem prolixè tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos mitteris diffuse communicandam.

Ex Aedibus Vaticanis, die XII mensis Septembris, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS

[01502-LA.01] [Testo originale: Latino]

---